

servi tui fratres mei, quos filios tuos esse voluisti, dominos meos, quibus jussisti ut serviam, si volo tecum de te vivere. Et hoc mihi verbum tuum parum erat, si loquendo prae-ciperet, nisi et faciendo praeiret. Et ego id ago factis et dictis, id ago sub alis tuis nimis cum ingenti periculo, nisi quia sub alis tuis tibi subdita est anima mea, et infirmitas mea tibi nota est. Parvulus sum; sed vivit semper pater meus, et idoneus est mihi tutor meus. Idem ipse est enim, qui genuit me et tuetur me; et tu ipse es omnia bona mea, tu omnipotens, qui mecum es, et priusquam tecum sim. Indicabo ergo talibus, qualibus jubes ut serviam, non quis fuerim, sed quis jam sim, et quis adhuc sim. Sed neque me ipsum dijudico. Sic itaque audiar.

#### CAPUT V. HOMINEM SE TOTUM NON NOSSE.

Tu enim, Domine, dijudicas me, quia, etsi nemo scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; tamen est aliquid hominis, quod nec ipse scit spiritus hominis, qui in ipso est. Tu autem, Domine, scis ejus omnia, qui fecisti eum. Ego vero quamvis prae tuo conspectu me dispiciam, et aestimem me terram et cinerem, tamen aliquid de te scio, quod de me nescio. Et certe nunc videmus per speculum in aenigmate, nondum facie ad faciem; et ideo quam diu peregrinor abs te, mihi sum praesentior, quam tibi, et tamen te novi nullo modo posse violari. Ego vero, quibus tentationibus resistere valeam, quibusque non valeam, nescio. Et spes est, quia fidelis es, qui nos non sinis tentari supra, quam possumus ferre; sed facis cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere. Confitear ergo quid de me sciam, confitear et quid de me nesciam; quoniam et quod de me scio, te mihi lucente scio; et quod de me nescio, tam diu nescio, donec fiant tenebrae meae sicut meridies in vultu tuo.